

AD CONFERENDA LOCA

IER. XXXI. 31-34. ET HEBR. VIII. 8-12. X. 16-18.

Specialis ac distincta doctrina, de conuenientia & differentia veteris & noui foederis, Saluatoris nostri, multum difficultatis habet, & locus ex Ieremia pertractandus, omnino ad nodos exegeticos & dogmaticos referri potest. Afferemus verba, primo ex versione Vulgata, & quae exinde suboriantur dubia, communicabimus. Ier. XXXI. 31. *Ecce, dies venient, dicit Dominus: & feriam domui Israel, & domui Iuda foedus nouum. v. 32. Non secundum pactum, quod pepigi cum patribus vestris in die, qua apprehendi manum eorum, vt educerem eos de terra Aegypti: pactum quod irritum fecerunt, & ego dominatus sum eorum, dicit Dominus v. 33. Sed hoc erit pactum quod feriam cum domo Israel post dies illos, dicit dominus: Dabo legem meam in visceribus eorum, & in corde eorum, scribam eam: & ero eis in Deum, & ipsi erunt mihi in populum. v. 34. Et non docebit ultra vir proximum suum, & vir fratrem suum, dicens, cognoscite Dominum. Omnes enim cognoscent me, a minimo eorum vsque ad maximum, ait Dominus: quia propitiabor iniquitati eorum, & peccati eorum, non memorabor amplius.*

Quaerunt interpretes: quid hoc est, quod Ier. XXXI, 33. 34. & Hebr. VIII. 11. tanquam aliquod priuilegium fidelium his verbis describitur: neque amplius docebunt vir proximum suum, aut vir fratrem suum dicendo: cognoscite Iehouam? Num in diebus noui testamenti hoc cessare debuit, tanquam minime necessarium, quod dicitur, fratrem fratrem docere? Nonne hodie institutio ad fidem in Christum per fratrem absolute necessaria est? Nonne in N. T. reuera & aequae obtinet doctrina e verbo Dei, ac in veteri? Quamuis enim plurimi dentur hostes ministerii ecclesiastici, qui cupiunt, vt omnes docentes e templis ac scholis remoueantur, ex diuina tamen gratia adhuc supersunt, qui docent & dicunt: cognosce Dominum. Sensus itaque, qui ex his verbis fluit, est paradoxum, omni experientiae contrarium, quod illimitate admitti non potest. Nam, si necessitas institutionis & doctrinae tollitur, si non opus est, vt frater fratrem doceat, statuendum est, omnes Christianos, tam paruulos, quam aetate profectiores aequaliter esse